

CONRADVS CELTES POETA LAVREATVS.



Conradus Celtus Protocius ex Francia Germanię oriundus fuit. Erat is felicissimo ingenio & naturali facundia præditus. Itaque sese hinc inde ad uarias Germaniae Academias conferens, liberalium artium suo tempore doctissimus eusit. Erat Philosophus, Orator, atque Mathematicus insignis. In primis autem artem Poëticam excolluit, atque in usum studiosorum magna cum laude reduxit. In ea facultate cum natura & arte excelleret, à Cæsare Maximiliano Poëta laureatus creatus fuit, anno ætatis trigesimo quinto, atque salutis nostræ 1494. Scripsit in Ciceronis Rhetorica ad Cæsarem, præterea artem conficiendi uersus, & conscribendi Epistolas. Aedidit carmine uitam S. Sebaldi, atque Panegyrin ducis Bauariæ. Composuit etiam peregrinationem Sarmaticam, & Germaniae situm, cum multis alijs, quibus ingenij sui præstantiam posteris commendauit. Trithemius.